

Epistolae

[Page 7]

Nicolaus registrator rogat magistrum P. de Vinea ut ipsum removeat ab officio registrandi.
Etsi conceptum iam diutini temporis tractu propositum, quod torpentis hucusque silentii sera perstrinxit, imprudentie rigor informat et negligentie fere nota respergit, caute tamen macula purgatur inertie et imprudentie sic livor abluatur, quo, quanquam scribentis aviditas hactenus sibi quodammodo displicendo siluerit, salubrius tamen speravit et credidit, ut tacentis coloni qualitas cognosceretur a fructibus, quam operum experimenta suorum improvisa relatione iactantia testaretur. Reputavi decentius alienis contiones detegi labiis, quam, per arrogantie vitiose suffragium, que cuiuslibet oratoris deturpat officium, superstitiosius vestris aspectibus accedendum. Sed ne reddar ulterius de mora culpabilis et de[Page 8]

negligentia vitiosus, labores continuos quibus corpus assidue lacescit et anima, tanquam fidelis et passivus interpres vestre benignitatis auditui, que cunctorum curas diligenter examinat, aggredior relaturus. In quibus licet manus utpote patiens ore sit doctior, cum omnis passio in actu sit potior quam sermone, quantum tamen sermoni meo licuerit, lectio vobis epistole presentis explanat. Fuit itaque, domine, quod postquam officium registrandi, quod baiuli sibi crediti tantum imbibit animum, velut me quedam species servitutis, implicuit, quasi factus corpus unum cum calamo et persona eadem cum quaterno; sic sudavi frequenter et alxi, sic me labor continuus indesinenter oppressit, prout datus mihi quasi testis illati martirii quaternus confitetur, quod insufficientie qualitas pro me satis sufficienter allegat ac, preter personalis afflictionis angustias, expensarum suffragium, quod est sepe laboriosis ossibus consolationis emplastrum, sicut vestram non dubito latere notitiam, patientis laboribus non respondet. Et quod est demum omni michi labore crudelius, iuvenilis vigor ingenii quod qualesquales studendi primitias de lactante iam ubere sugserat, dum exercitationis deberet pasci cibariis, in manualet, proh dolor!, operam confluit quidquid sibi debuit officio exercitationis offerri. Nec tam laboriosi iugo martirii, ut emulante ore non loquar, collum supposuissim et humeros, nisi principiate passionis instantia melioris boni presagium promississet. Sed cum spes habeat improba proprium ut nunquam[Page 9]

extimet satis esse quod recipit, semper meus in statera fiducie suspensus est animus ut aliquam beneficii fecundiozem particulam de tanti laboris puteo, vestre provisionis cooperante clementia, subiectus exhauriat et devotus attingat. Imploratur igitur vestre benignitatis officium ut, cum anni iam circulum et ultra, si verum fatear, in sollicitudine registrandi consumpserim et consumpti iam fere nequeat ultra conditio, vel rediturum si placeat licentietis ad propria, vel in domo summi principis, in qua mansiones multe sunt, locum ubi gratius et fructuosius serviam prefigatis. Cum benefaciendi quibuslibet regnet in pectore vestro potentia, dum reserat nemo quod clauditis et quod reseratis per consequens nemo claudit; regnat scientia, dum, si me non fallit opinio, scire vobis datum est celitus quicquid utilitatis sub pallio solis absconditur, quicquid rationalis humanitas apprehendit; regnat et debitum, dum si quidquid virtutis habuit in vos mater natura iam confluit, ex necessitate quadam effudit in alios vestra liberalitas quod habetis. Ut currus qui currat equalius quem perficit in rotarum parelitate quaternitas, procedat de vestri pectoris archa voluntas utinam perfectio quasi quarta.[Page 12]

Fridericus etc. Iohanni Turdo, per Nicolaum de Rocca.[Page 13]

Lugubrem Turbetti filii tui casum, vulgaris fame fortassis linguositate precognitum, cuius doloris aculeus, prius dominica pectora pertransiens quam paterna, fecit in nobis quantum licuit et decuit stationem, infesto tibi stylo describimus. Et licet eiusdem obitus nos in eiusdem obsequii subtractione turbaverit, et te, sicut firmiter credimus, in carnis decisione medullitus venabulo quodam inopinato percutiat, si modus tamen et qualitas mortis attenditur, consolationis remedium, quod nos iam exinde probabili ratione concepimus, locum grandem invenire firmiter

opinamur in patre. Dum enim idem filius tuus camere nostre servitiis assiduus et obsequiosus insisteret, in combustione castrorum nostrorum Victorie, ubi eum forte potuerat a rebellium nostrorum manibus fuga subducere,[Page 14]

devotionis firme constantia, que vix cadere consuevit in iuvenem, gladii superante terrorem cruenta maluit cede succumbere, quam dimissis aule nostre servitiis saluti proprie per absentionis subsidium providere. Ex hac ergo quam proxima causa precipua, doloribus tuis consolationis unguenta porrigimus et mandamus, ut, cum eiusdem filii tui defuncti vivat in nostri cordis essentia, carne deficiente, memoria, et turpe sit in prudente viro consolationis remedium, lassitudo dolendi, modum fundendis lacrimis apponere studeas, et causam in nobis consolationis assumas. Datum apud Burgum XX. aprilis, VI. indictionis.[Page 15]

Respondet Nicolaus de Rocca ad quandam epistolam sibi missam. Ex rescriptis vestris archana lambentibus aperte connicitur quod sollicitantis vos previa scripta tetigerint et pectoris vestri ianuas insipida mordicatione pulsarint, dum verbis quasi remissa sunt verbera et contumelias arbitror redditas omeliis. Qualiter enim de sompno vel otio me ducis industria vel segnis mathematici sagacitas arguit, qui, ex longa consuetudine rebus afferente constantiam, commodis rei publice semper invigilo et gerendis negotiis nunquam minus otiosus exhibeor, quam cum videor otiosus? Fateor quidem loca temporibus et tempora decreta solatiis, quibus Tuentis nos omnes nobilis et grandis essentia satis posset quorumlibet tutelas abducere et deliciosa corpus dulcedine recreare. Sed cum omnia tempus habeant et in omnibus una semper sit virtus servare modum, mirum satis est si querat in bruma quis metere, vel in solis ardoribus seminare, si satagat etiam de glacie flores excerpere vel elicere mel de petra. Quod si forte non fortis Regiana subtilitas, verbis potius assueta quam factis, minus eleganter intulerit quod ex venandi solatio usus armorum non pereat, sed ad bella reddatur vena fecundior et ad ictus assuescat facilius excussio lacertorum, certe videtur magicum et spirituale iudicium minus id diligenter advertere, et supra se de talibus cogitare. Cum enim eadem esse non valeant, quorum cause previe sunt diverse, aliud est humanis[Page 16]

arcibus arces et ictus opponere et aliud fermis saltibus, quos ab illis substantialis differentia separat, rationis arcus et gladios applicare. Sed de hiis omnibus ducis nostri, prudentis ad omnia, cuius est proprie proprium iudicare, sententia dirimat, et collateralium Tyronum industria promiscua deliberatione disceptet. Desistat igitur obiectio Liguris ministrorum altaris, quos inanis cupiditas ad Regni dapes armaverat, relegata nunc exempla producere et antiquitatis officium increpare, cum in illorum victoria non opus humanum fuerit, sed divinum, et in hoc numquam sapientia quantumvis antiquata desipiat, sed quanto plus in tempora labitur, vel per manus liberaliter dispensatur, tanto plus effluit et fructus placidiores adducit. Nichilominus tamen, ut nobis loqui cum reverentia liceat, et sine reprehensione loquamur, cum ministri Sathane, satellites Belial, inimici fidei, perversores legis ad Regni opulentias anhelantes voluerunt in alienas messes ponere falces suas, in quantum permisit humana fragilitas ictus apposuimus, a sompno destitimus et de otio secessimus ad laborem. Sicut dux noster testis fidelis vestrique auriga peritus, cuius testimonium verum perhibere potest testimonium veritati et apostate sui iudicio, quod philosophantium dignitas ad sui collegium non admittat, contempletur, et iudicet augur noster vagos et refugos discursus astrorum et nos, qui terrenis curis et studiis insudamus, patiat et audiat iudicare de ceteris. Ad id autem, quod novissima clausula cedula, per aliam manum scripta, continuit, breviter respondemus quod ordo sapientis est sic rerum ordinem limitare, ut nec ante cibum ex famis otiositate contorpeat, nec post ex assumptorum multiplicitate sordescat.[Page 17]

Episcopo Pactensi Nicolaus de Rocca. Multiplici vobis, domine, ratione congaudeo, quod in paradiso deliciarum et loco pascue fortune vos celebris felicitas collocavit. Gaudeo quippe vos Ligurum accidentia subito non timere tonitrua. Gaudeo viarum discriminosis eventibus et hospitiorum non minus dubiis cessisse periculis. Gaudeo vos illam virtutem, securitatis alumpnam, levius verbo quam facto portabilem, verum sophisticam, melius ori quam corpori consonam, qua iam nos omnes ditatos inspicimus, corporalem inopiam non sentire. Gaudeo sospites adesse vos corpore, ut sistat saltem persone secunde suffragium, cui passiones absentium familiari quodammodo conquestione monstrentur. Gaudeo vos abesse loco, non animo, manifesta ratione presumens quod, exaudibilis utinam in ore vestro, frequentetur oratio, solis nostri circuitum metientis, iam bina temporum seu fastidita potius revolutione, Liguriam ad hemisperium fertilis et redolentis Apulie crebris

intercessionibus vocativa. Hec igitur anxius potius recitare quam scribere, eatenus me vobis offero, domine, quatenus ad nutum recipere me placeat et habere. Curie siquidem conditiones et statum, qualibet scriptura lucidius, vobis lator presentium referet viva voce, unum verumtamen scriptura non preterit, quod si locus sit coniecturis in talibus, iam pedem in streugam erexerimus, ad lares patrios, nisi fortune protervitas consueta, quod absit, impedimenta traiciat, celeriter redituri.[Page 18]

Regi Conrado Manfredus per Nicolaum de Rocca, de morte Friderici imperatoris.

Turbinis calicem, quem nuper de patris et domini nostri casu non minus mentis quam oculorum infusione transumpsimus, vellemus libenter a poculis vestris excipere, velut qui mensam vestram gratis concupimus dulcorare deliciis, et precordia vestra placidis anxiamur gratificare pulmentis. Sed ut dolor, quem exinde gustare vos novimus, nuntiantis sit contemplatione remissior, licet forsitan id fame velocitas, que pennas consuevit in adversis assumere, magnitudini vestre predixerit, nuntiantes tamen alios elegimus prevenire, ut eo sit casui medela proclivior, quo nuntiatio nostra maturior ad vestram notitiam deducetur. Scimus etenim, quod, si patris virtutes attenditis, si eius, quem multipliciter natura dotaverat, complementa pensatis, nedum vos, qui caro de carne ipsius et os de ossibus descendistis, lugere cogimini, sed et oculi omnium universaliter ad lacrymas convitantur. Cecidit quidem sol mundi qui lucebat in gentibus, cecidit sol iustitie, cecidit auctor pacis. Credimus tamen quod, si circumstantias eius consulte revolvitis, consolationis vicine remedia sentietis. Vixit enim dominus pater noster feliciter et victoriose, dum vixit, et divine maiestatis auctoritas, que processibus eius viventis astiterat, morientis finibus voluit non deesse. In ipsis quidem mortis indiciis, preter dona mirifica et beneficia gloriosa, que in testamenti serie fidelibus granter indulxit, sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem suam in corde contrito, velut fidei orthodoxe zelator, humiliter recognovit, et dampna, que dudum[Page 19]

ecclesiis, invitus forsitan, vel potius provocatus intulerat, integre restauranda sancivit. Mirabiliter etiam Deus ipsum beavit in exitu, quod liberis fecundatus adultis, sed persona vestra precipue, domine, in cuius humeris honorem et onus regiminis glorificatus appendit, ad patriam, quo iter est omnibus, feliciter utinam, victurus accessit. Ex quo pulchra spes vel plenaria certitudo et certa fiducia datur in gentibus, ut licet occasum sol ille petierit, per cuiusdam tamen continuationis ordinem relucescat in vobis, et licet fructificus cultor ille iustitie, magnificus auctor pacis operas et culturas suas moderantis omnia mortis severitate suspenderit, pacem tamen et iustitiam semper excolat et operetur in vobis. Et sic pater abesse non creditur, dum vivere speratur in filio, nec creditur tam pretiosa hereditas amisisse patronum, dum eius confidit invenire dominium tam suave, tam placidum in herede. Immo si salva patris reverentia loquimur, satis consueto salubrius fideles vestri, scilicet regnicole, potissime sperant sub umbra vestri dominii protegi et sub vestro regimine confoveri, ex eo sumentes efficax argumentum, ut qui nostis paternos mores nature generositate portendere, regnantis officium, quod etas in vobis et natura consolidat, gerere velitis in subditis et sciatis. Vos igitur, gloriosissime domine, cuius adventum universorum mentes expectant et vota suspirant, sic vestrorum fidelium expectationibus consulatis, ut spes que consuevit animam plus debito dilata contere, ipsos in tam votiva prestolatione reficiat, et status pacificus regni vestri, quod maiestatis vestre presidium affectuose desiderat, ex tam grati regis presentia revirescat.[Page 20]

Magistro G. de Tocco Nicolaus de Rocca.

Quia virum virtute conspicuum alloquor, verba vellem dirigere condita, si possem, scientie condimento, ut, quod simplex scribentis affectio non valeret, demulcentibus saltem littera comitata suffragiis suavius informaret. Quod mihi licet imperitia deneget, posse prohibeat et subrepat oblivio, index tamen voluntatis, devotio cognoscatur. Cum igitur, sicut scire vos autumo, cuncta que constant, pater et domine, data sint homini, facta pro homine, subiecta homini, sibi concessa est super cunctis potentia dominandi. Sed cum diversorum sit diversa sentire, diversis datur hominibus diversa fruendi rebus opinio: alteri, qui, quantumlibet divitiis affluat et honore grandescat, largitatis virtute succinctus, liberalitatis dexteram aperit, devotorum amicorumque precibus flexibilis, non elatus; alteri, qui, quanto magis habundet in opibus, parcatatis marcore perstrictus et cupiditatis cece vitio circumplexus, nedum pulsantibus foris in atrio rebus opima caducis eius dextera reseretur, verumtamen ne hinc inde congeste pecunie congeries minuatur, in gazophilantium, immo in possidentium infamiam, quinimmo possessionis subiecte censui congregate, torpore largitatis utendo, gelidus et tepidus consumator abstinet ab utendis, rebus se, non sibi res penitus subiungendo; alteri, qui, quantumlibet paupertatis

mole gravetur et quantumvis inopie pondere comprimatur, beate paupertatis fomentis innixus, non suspirans ad grandia, sed circumvecta letitie[Page 21]

paupertate contentus, se divitem reputat, et quod parum superest sibi sat est. Cum rerum igitur fortuna mutabilis, que cui vult hylarem se ostendit, quem vult in nubilo amplexatur, cuius in rota volubili quisque convolvitur, vobis, per Dei gratiam, feliciter direxerit gressus vestros, felicibus auspiciis sublimando, gaudeo satis et votivus affecto, ut, illius gratia, a quo vobis collati honoris fastigia conferuntur, dierum longitudo per consequens feliciter evolvatur.

[
]

Honore coronatis et gloria, sub diversis titulis nomen habentibus, universis in sortem domini evocatis, N. de Rocca nichil ad presens petere quam quod petitur exaudiri.

Populus gentium, variis circumplexus eventibus, de salutis regula turbata conqueritur et turbati signi discordia condolet in signato, dum salutifera virtus, in Salvo retrograda, rescripto non obtento licentie, legitimo[Page 22]

mentita colono, per peregrinos exulat incolas, et sic eius manus iam tepida, nominis mentiente vocabulo, contrarietatem adicit in subiecto. Etenim pro oratione singultuosa depromitur in magistri Salvi patemis essentia humanorum distemperata temperies et, accidentium superveniente rubigine, substantialis forme qualitas alterata. Deus numquam voluit, quod velle debuit, huius salutis presumptive diem discessus predicere populo, ut ad minus, contra, valitudinis succedentis audacia, que in tempore commune sapit exitium, sufficientis opinionis obstaculo defensionis in proviso muniretur. Eius namque compassionis brachium capita multorum amplectitur, dum mater ipsa fidelitas in tam fideli filio patiente turbatur, humilitas condolet, eclipsatur honestas et virtus eloquentie, que, ipso virente, virebat, nunc patitur in infirmo et in solo prosternitur, que per eum sedebat in solio triumphata, ac, preter impedimenta clandestina, virtutum cancellarie chorus nobilis et decorus, cuius pars non erat exigua, per eius absentiam cancello tenacissimo dissoluto, imperfectam superficiem representat. A cuius tanquam a patris universalis ecclesie uberibus, licet omnes, precipue tamen quos note titulus superscribit, tanquam dilecti filii[Page 23]

dependentes, turbantur ex merito, qui, velut fons irriguus Eufraten, aquas dulcedinis fundens in gentibus, deiectum oratione Tullium sue lingue misterio reformabat. Ad eius igitur primeve restitutionis ymaginem, cum cumulate preces precantis affectum exprimant et venerabiliori instantia emolliant animum concedentis, una queso mecum, cui tanto subest materia dolendi prolixior, quanto de sue sospitatis adventu fecundioris gratie fiducia speraretur, ad sedentis in throno potentiam intercessores assistite, ut, ubi alterne conditionis disparitas et dissona vocis emissio effectum suspenderet imperantis et executionem petitionis forsitan impediret, oratione multiplici divinam movente clementiam et vocum congerie supernam dexteram excitante, pugnet et stimulet salutem circumvagantem, et, velocius terminans cursum suum, metam preveniat et medicinam adiciat salutarem, per quam infirma roboret membra patris et expectantium filiorum, votivis successibus, vota restauret.[Page 24]

Amico ... Nicolaus de Rocca.

De caro mihi carior factus est Petrus, dum, societatis et amicitie petree redolens firmitatem, in binis iam litteris domini mei ... mihi missis suos sulcantis labores aratri et suadentis lingue lepores expendit, a quo dum suavitatem ex huiusmodi sapore collegi, curialiter me reputans salutatum, gratiose sibi vicissitudinem salutis exolvere.

[
]

Magistro P. Nicolaus de Rocca.[Page 25]

Gavisus sum satis in lectione litterarum vestrarum, dum non nisi amicabile verbum placidis affectibus offerebant. Nescio tamen si in corde et corde locuti fueritis, cum consanguinei vestri, quorum spes dependet a vobis, aliud faciant quam scripsistis. Et sic dum verbis vestris eorum sunt facta difformia, quid causam huius varietatis adduxerit infra pectus vestrum debita revolutione pensate. Ego tamen, qui amicus amicis et vobis precipue necessaria lege dilectionis astringor, quid super hoc fieri possit et debeat provisioni vestre committo. Nec tamen credatis propterea sic abbreviatum fore me viribus, ut facultas mihi tales propulsandi molestias denegetur. Super negotio autem fratris mei dirigi litteras, quas vestra dilectio persuasit, presentium negotiorum et temporis qualitas diligenter considerata non patitur. Propter quod, amice carissime, vos, qui super hoc studium procurationis apponitis, omnem sollicitudinem principiis adhibete,

ut, iuxta verbum vestrum, in quo iam rete laxavi, desiderata negotii consummatio videatur.[Page 26]

Eorum fratri et amico carissimo.... illi duo connomii Nicolaus de Rocca et Nicolaus de Sancto P. salutem quam amor in fratribus et caritas exigit in amicis. Per Nicolaum de Rocca.
Votum vestrum sub pulchra verborum seu placida coloratione transmissum exauditionis ad gratiam libenter admisimus, velut qui cordis vobis et nominis idemplitate conformes in nobis ipsis retinere confidimus quod alter in alterum mutua reciprocatione transfundit, nec excitari quesivimus adiectione calcarium, ubi de vestra non minus quam propria melioratione solliciti tanquam votivi nobiscum habere contiguum quem animo diligebamus absentem, priusquam nobis in lucem vestra petitio prodiisset, effectum sibi dedimus quem querebat. Nondum etenim pagina quam misistis legationis sue metas attigerat, cum, adventu vestro ad curiam Cesaris per nostram instantiam procurato, vocationis ad vos littere, quas iam recepisse vos credimus, emanarant ut inter quos binarius numerus imperfectus quodammodo videbatur, per aggregationem tertii quem ardentem appetimus, extremitates imperfecti cuiuslibet trinitas[Page 27]

collecta suaviter restauraret. Sed dubitamus et merito ne per celerem prosecutionem negotii res desiderata viluerit, dum quem anxium desiderio pendente cognovimus, nunc segnem et tepidum consummato sentimus. Solent enim, inter infantes vel amatores aliquando qui ipsa qualitate negotii naturaliter iuvenescunt, vota fortius fervere si pendeant et tanto cupidis animis viliora se reddere quanto maturiora concurrunt. Vos autem, carissime frater et socie, quem desideria concepta trans iuvenem metiri debere seu posse confidimus, cum vobis ad ianuam res petita pervenerit, ipsam libenter excipite, dampnate desidiam, moras abrumpite, et cum paratis sepe differre nocuerit spes pulchra vos foveat quod tam debile, tam leve principium fortuna celebrior subsequetur.
[
]

... amico suo Nicolaus de Rocca.
Ut non in proverbii illis encliticis, que seniores nostri temporis punctatim crebro discutiunt, sed in apertis parabolis tibi loquar, illud habeas, mi dilecte, seposita qualibet adulatione, certissimum, quod spiritus meus, tuis semper solitus congratulari successibus, non minus pridem in separatione[Page 28]

tam subita, salutis etiam extreme beneficium non adepta, contoruit, quam in visione gratifica vultus tui desiderati diutius exultat. Post tempus tamen audiavi et sensi quod in curia domini legati, ubi dii tibi sint faciles et operis nullius egentem fortunam accomodent, familiariter es receptus. Ex quo letata est anima et refluavit in montibus caro mea, cum, per id quodammodo directis auguriis, que dudum, obducens ipsa etiam elementa, commotio suprema retorserat, felicia pacari tibi monstrentur auspicia, quorum suffragiis tibi fructuosus esse poteris et amicis. Opinor enim ex his, quod corporis tui membra, priscis assueta laboribus, curarum exercitio fomenta recipient, et quinquagenariis censibus circa femur olim bursa preponderans, quantumvis ex tempore vacuata, pinguescet, necnon Nicolaus tuus, qui corde semper est tecum, de felicitate status tui aliquid hauriet adiumenti. In quorum omnium plenam fidem scribe manet testis Rodolphus, hiis bene gestis. Vive, igitur, amice carissime, sospes corpore, letus corde, opulentus in rebus et in negotiis meis, ad quorum promotionem te ultroneum exhibes non rogatus, quam lex amicitie postulat, diligentiam procurationis appone.[Page 29]

Marchioni ... Nicolaus de Rocca.
Miror missa vobis iam pluries scripta mea, vel proprium non contingentia terminum sui motus, vel illam in termino favoris non invenientia gratiam quam querebant, nullum a vobis hactenus meruisse responsum. Porro effectum rei video, sed causam ignoro, nisi solum id mihi pro causa veniat et effectu, quod vos intellexi pridie de curia tantisper absentem. Sic igitur ambigebat presentium series manus legatoris evadere, ne cum sororibus previis pateretur forte similem in receptione iacturam. Sed ego, nunc, beneficiorum vestrorum non immemor, elegi potius incassum scripta dispergere, quam apud vos de negligentia vel indevotione notari, qui in sinu vestro, velut Iacob, lapide mihi sub capite posito, fiducialiter dormio et absens quantumlibet requiesco.[Page 30]

Satis preclaros alumnos, longe lateque per orbem, nature pregnantis peperit uterus et plurimorum pectoribus partem sue fecunditatis infudit; sed, preter communem opinionem omnium, in singulari subiecto congerens quicquid contulerat universis, magistrum Petrum de Vineis cunctis peperit clariorem. Nec sine merito sic ipsum sua liberalitate ditavit, cum virtutum congeriem personarum varietas sepe confunderet,

sententiarum erraret auctoritas, et iura, prompta solvere buccis lacerata domesticis, ordinarium iudicem non haberent. Multum etenim ut requiem quereret, sapientie felicitis ingenium in giro celi et abyssi profundo circumquaque vagaverat, sed in hoc demum sua fixit tentoria, in hoc sui motus circuitum limitavit, cum quo factum cor unum et anima una, in eo ferrum de terra transtulit et lapidem calore resolvit, ut quicquid esset terrena grossities in doctrine substantiam verteretur; per cuius namque virtutis instinctum iusticia mortificata resurgeret[Page 31]

et eclipsati iuris qualitas sue discretionis industria supplementa sentiret; qui, velut novus legifer Moyses, de monte Synai legum copiam concessam sibi celitus hominibus reportavit, ut, quorum noxius appetitus per lustra devia oberrarat, ad iustitie fabricam, qua imposita quilibet decoquantur, eius luce previa dirigatur. Hic est siquidem alter Ioseph, cui, tamquam fidelis interpretis eius, studio magnus ubique Cesar, de cuius potentia sol et luna mirantur, circularis orbis retia gubernanda commisit: qui tamquam Imperii claviger claudit, et nemo aperit, aperit, et nemo claudit; cuius eloquentie tuba dulcisonans, orationis voce melliflue audientium corda demulcet, utpote cui quicquid erat sub pallio solis absconditum, preter clausi libri septem signacula, divinus intuitus revelavit. Ipse est enim Petrus fundatus in petra, ut ceteros fidei stabilitate fundaret et,[Page 32]

sinceritatis soliditate firmatus, foret aliis fundamentum. Relictis quidem retibus, princeps apostolorum, Petrus ille piscator, nimirum secutus est Deum; sed Petrus hic legifer a sui domini latere non discedit. Curam gregis dominici pastor ille curabat antiquus; sed iste novus athleta iuxta latus summi principis virtutes inserens et errores extirpans, in statera iusticie ponderat quicquid dicit. Galileus ille tertio Dominum sua voce negavit; sed absit quod semel abneget Capuanus. O felix vinea, que, felicem Capuam tam suavis fructus ubertate reficiens, Terram Laboris irradians, et remotos orbis terminos instantia tue fecunditatis irradiare non cessas, a cuius stipite, palmes non discrepans, tanquam a bono fixus initio iudex prodiit Guillelmus, quem commendabiliter eius effectus laudabilem exhibet, eo quod habuit tam nobilissimum creatorem, ut quem ornavit[Page 33]

qualitas habitus, ipsum amictu decoris adornat. Nam legis armatus peritia digesta digerit et codicis scrupulositates elimat, dum, in quadrigis sedens Imperii, superemergentes quoslibet casus et causas in libra iudicii quotiens apponderat et appendit, totiens eos dirimit et decidit, quasi veritas sub nube non lateat, que videntibus non celatur: angelum se fore sanctum lucidius representat. Hec fuit itaque vinea, quam philosophie manus multo sudore plantavit et coluit, ipsam sue irriguitatis amenitate fecundans, in qua tabernaculum eruditionis erexit, ut ex eo mentes indocte doctrine reciperent spiritum, et ex eius fructu mellifluo biberent sitiennes. Hec est vinea, cuius radices grandis aquila in terra negotiatorum, de Libano asportatas, secus decursus aquarum cum diligenti prudentia transplantavit; ad cuius[Page 34]

virtutes eximias explicandas tunc etiam lingua Tullii laboraret. Ne forsan balbutiens in prosequendo deficeret et sic displicendo placeret, tele finis imponitur, quam stupendo contexuit Nicolaus.[Page 35]

Respondet Nicolaus de Rocca magistro Petro de Vinea. Primis nudatus interulis occurrit oratorius scribentis affectibus, hiis diebus, sub dubietate libellus, qui, nec personam expressim mittentis intitulans, nec receptoris essentiam subfigurans, iudiciarii ritus ornamenta redoluit, dum labores iudiciarios suasionem molliri dictaminis exquisivit. Errasse siquidem videbatur ille succinctus interpretes in invium, dum, ad me dyametrum dirigens, lactis indicia de petre soliditate mungebat. Sed baiulantis nota conditio ad ipsius receptionem paulisper manum recipientis provocavit erroneam, et concepte dubietatis articulum qualisqualis fidei specie coloravit. Sane, si verum fateor, nec sit mihi missor incognitus: unde dominus invitari debuerat, inde famulus redditur invitatus; unde lenta precurrisse credebat epistola, inde preventa claudicans nomen induit responsalis. Que devotionis enxenia sub gratiarum amictu reportans, ut sit forme relatrix in reditu, quam inter nos ad mutue collationis applausus edere placet in posterum, specialis mittitur procuratrix.[Page 36]

Respondet Nicolaus magistro Petro de Vinea.[Page 37]

In sororis premissis suffragium, pregnans coloribus, excusatrix venit epistola quam misistis. Que, tamquam efficientis cause munita presidiiis, ad obtinendam de lite victoriam multas secum et varias evidentis rationis

allegationes adduxit. In cuius conflictu sic vinci totaliter reputans, ad vindictam inermis suppliciter dictantis postulat uterus, ut, quotienscumque de calamo tenui nudam ad vos et rudem pariet paranimpham, lingue vestre suavitas, que necessarios habet in talibus exornationis ammicus, nudum operiat, incoctum queso reducat ad fabricam, scabrositates eliminat et emendationis stilo poliat impoliturum. Est enim que vires mihi modicas minorat ingenii, laboris assidui tedium, causa precipua, que, temerarie validitate potentie, nedum ornari quod dicitur impedit, sed dictionem etiam simplicem interdicit, dum, operantis humeris continua fatigatione fragilibus tam aspero iugo suppositis, vix respirationis hora conceditur, vix cogitationi tempus ydoneum, nisi quod furtiva predatione subripitur, operario relaxatur. Sed tamquam ignis delatus in gremio quicquid interius forsitan repentine colligitur, manualis cure perplexitas imbibit quicquid temptatio passim pensantis eruptuat, de quaternionis cura sollicitudo continua, quem mihi rerum eventus penalitatis sociavit interpretem, ambitiosa consumit.[Page 39]

Respondet Nicolaus de Rocca eidem Petro de Vineia. Etsi victorie titulos, prout replicantis industria cauta subintulit, in responsalis pavidi serie, quam paupere veste contexerat, excipientis stupor inseruit, numquam tamen victoriosus extolli suffragiis in altercationis cepte conflictibus animus rescribere superbus appetiit, nec per cessionis ingrate remedium remissus conflare desperavit. Sed tanto robustius insistere credidi, quanto sapidius mihi cedit ad gratiam eius gratis invenisse colloquium, cuius vernantis lingue suasio tam nobiles suadelas eruptuat, cuius intuitus ad tam familiaris collationis retransitiva commercia precis multiplicis debuit pretio invitari. Illud verumtamen vindicte fastigium, quod traxit ad consequentiam legentis auctoritas, si dictantis conscientia litteram sociasset ad ceptum tantummodo salutationis defalcate litigium, si lectoris placuisset aspectibus, potuit retorqueri. Nec peccavit sane, si verum fateor, supplicis oratoris intentio, dum ad orationis informis reformanda ministeria lime vestre quesivit auxilium et vestre conformitatis perfectio petebatur. Solet enim raro vel nunquam rigor opificis dampnare quod edidit. Solet et rarius per se viciose dictionis enormitas accusare patronum; sed cum sagacius cuiuslibet nota discriminis aliene mordacitatis impulsibus arguatur, elegi decentius omne quod scribitur vestre correctionis stimulo relinquendum, quod superstitiosa presertim perplexitas implicat, quod cura continua laborantis infestat. Super eo denique quo proponentis elidebatur exceptio, prioris adhuc clipei munita repagulo, sic vestre replicationis argumenta refellit, quod – licet verborum acies, que per subreptionem frequenter tenuis archa diffibulat, que minus bene cyclopi fabrica decoquit, aliquid vobis, ut dicitis, saporis adducat – facit hoc utique, si me non fallat opinio, discretionis vestre benignitas, que cantica sibi displicere non patitur, dum nexu dilectionis amplectitur[Page 40]

cytharedum. Propter quod ista sufficiat triplicata defensio, donec successivis insultibus impugnetur.[Page 41]

Respondet Nicolaus de Rocca eidem Petro de Vineia. Per strenui bellatoris industriam, verborum gracilis reciprocata commixtio legentis affectibus, quem hostem intitulat, in sui esse satius placere non potuit. Sed in hoc tantisper caute me pupugit, in hoc, sub recti seu potius ridiculi specie, materiam disparationis adduxit, quod acum inter ferramenta commiscuit et me quasi pulicem ad animalia grandia comparavit, novas mihi potentie plumas attribuens et recentis notas noviter sublimitatis impingens, qui, teste stili suffragio, nec conceptum in dimicatione mutavi propositum, nec variavi, Deus videat, ex accidentis cuiuslibet[Page 42]

involucro, voluntatem. Ex hoc siquidem cauta conicitur dimicantis auctoritas, ut, dum preter bellice legis auspicia hostis insignia tot preconiiis extulit, dum oppugnatoris obstaculum tot laudibus ypocritis circinavit, eo magis promptuarium laudati tepesceret, quo confidentius interioris hominis pensato iudicio magis aperte diffideret, dum nichil sibi de contingentibus invenit nec appendiciarum aliquam sibi predicat veritatem. Dixistis preterea non esse querendum ab hoste suffragium. Domine, fateor quod habet manualis conflictus regula proprium, ut hostilem instantiam hasta bellicantis exaggeret et fraude doloque, quo prevaleat, circumveniat inimicum. Sed lingue loquacitas, utilis in enigmatibus, iurgium quod orationis blande suasio reddit audacius, tamquam ferrum, quod ferri polituris acuitur, quanto perdignius purgari se cogitat, tanto pignoris emolumenta fecundioris acquirit. Ne igitur obvisus reddat et displicens, unde placere credidi, forsitan insipidus, illa repetita petitio sub silentii clave recluditur, oblate penne vestre mysterio tanto recipiendo solennius, quanto, que sine cythara luderet, discordiam lire modificans, gratiorem efficiet melodiam.[Page 44]

Respondet Nicolaus de Rocca.

Persuasus ad pagine vestre lecturam etc., que alibi habetur.

[
]

Ministro minorum Conradus rex. Per Nicolaum de Rocca.[Page 45]

Nuper ad audientiam celsitudinis nostre pervenit, quod cum fratrem ... de ... devotum nostrum, quem grata nobis Ordinis sui religio et experta sue probitatis sufficientia commendabant, pridem in curia nostra pro quibusdam servitiis, personam suam non sine causa poscentibus, nobiscum aliquo tempore iusserimus moraturum, aliquorum fratrum ipsius Ordinis effrenis oblocutionis incauta et utinam non mordacis livoris seducta licentia, fratrem eundem propterea, quem cariores ex hoc habuisse debuerat, impudenter diffamasse videtur. Cumque huiusmodi verba, non minus nostri honoris iniuriam, quam fratris eiusdem detrimenta contingant, devotionem tuam rogamus et hortamur attente, mandantes quatenus diligenti super hoc cura prehabita, fratres omnes, quos propter hoc ad fratris eiusdem infamiam temere prorupisse compereris, debita disciplina castigans, eorum etiam lubrica labia silentii[Page 46]

munimento compescas, illud circa innocentiam fratris ipsius provisionis remedium habiturus, ut, si quid gravaminis illatum sibi propterea fuisse conqueritur, ipsum de preterito satisfactio condigna conciliet, et cautele provisio muniat de futuro.

[
]

Conradus etc. ... diacono cardinali. Per Nicolaum de Rocca.

Nuper in regno nostro, circumvagus quidam inventus est monachus, qui falsificati sigilli nostri formas adulterans, non absque nostri honoris iniuria et vestre honestatis infamia discurrerat. Ut igitur de sigillo ipso ulterius flagitiosa figmenta non prodeant, ipsum vobis, cuius[Page 47]

honoris augmentum de bono semper in melius cupimus promovendum, sub anuli nostri clausura transmittimus, et falsarium monachum, ut culpas suas districtius doleat, quas lascivus ingessit, carceris nostri compedibus mandavimus detineri.

[
]

Conradus ... fidelibus suis, per Nicolaum de Rocca.

Sepe contingit, quod, dum processus et gesta nostrorum officialium ignoramus, bene meriti secluduntur a premiis et obnoxii eximuntur a penis. Sicque subditorum nostrorum fides ex nostre retributionis subtractione minuitur et ex impunitate scelerum augetur obnoxii materia[Page 48]

delinquendi. Ut igitur processus vestri, quos ad oculum videre non possumus, nobis relatione veridica reserentur, fideles nostros ..., super visitandis officialibus nostris regionis ipsius, et super singulorum processibus sagaciter exquirendis, ad partes ipsas specialiter duximus destinandos, fidelitati vestre mandantes, quatenus super omnibus, que ad eorum officium spectare noscuntur, prout in litteris commissionis eorum plenius continetur, eisdem fidelibus nostris parere et intendere debeatis.

[
]

Magistro Petro Nicolaus de Rocca.

Si arbitrantis non fallatur opinio et opinantis arbitrium non fraudetur,[Page 49]

inter omnia que divina potentia doctrine vestre gratificari posset, nil profecto vobis iocundius extimo quam si vestre fecunditatis gremium nove prolis fetum multiplicet, ad hoc ut, scientie poculis satiendo famelicos, qui velut filii a vestris dependent uberibus, extendatis palmites vestre generose propaginis in scolares. Hec sunt namque docentis ad discipulum certissima pignora, dum plantat in alium quod in se novit esse plantatum. Nam licet vite spiraculum pereat, non tamen deperit in doctrina; licet ut homo desinat, non tamen desinit ut magister. Interest ergo vestra cuius uterus semper genuit indefessus et parere novos filios non desistit, vestra fovere plantamina et plantas si que succreverint irrigare. Inter quos, tamquam minimus, qui vester sum totus, cum in florum et frondium productione prodierim, ut fructus pariam, tanto fortius moveri debet sinus vestre prudentie, quanto felicius exaltantur fame vestre preconia et novum constituitis plantatorem. Cum igitur in proprii natalis partibus, instinctu quorundam solum, in arte dictaminis proposuerim aliquid implicitum explicare et estivi temporis dies, qui mihi ad requiem post cotidianos labores hyemis conceduntur, ad communem utilitatem studentium consumare, per vestre peto discretionis gratiam, a cetu doctorum omnium mihi licentiam impetrari, ut, licet particularia studia sint penitus interdicta, mihi ad gratiam, cum tempus nunc instet, generalis studii, docendi remedium concedatur.[Page 50]

Domino magistro iusticiario Nicolaus de Rocca.

Moram meam quam plus debito famulorum hucusque defectus ingesserat, utinam ego paratus exciperem subito fortune fallacia que in eodem neminem patitur esse situ. Quamvis post domini nostri casum me in plerisque tantisper ex huius temporis tempestate pupugerit, nuper tamen graviora mihi preter persone periculum iacula iactare non potuit. Dum enim, carissime domine, frater meus ..., qui nichil mihi de bonis suis elapso iam longo tempore nolens vel impotens destinarat, nunc maiorem partem suorum questuum per mare transmitteret, quesita longi temporis brevis hora consumpsit. Veniens namque nuntius eius in quadam trieride Gaietana que Gaietanos quamplures et dominum etiam ... de ... ferebat, apud Plumbinum ubi tanquam in terra fidelium invenire iuvamina confidebat, pecunia et rebus suis aliis usque ad ultimum quadrantem per ... et Pisanos extitit spoliatus. Ex quo licet passi sunt plures Gaietani dispendium et sic posset esse miseris solatium socios habere penarum, ego tamen dampnum meum solus in camera defleo et fortune turbinem, que me sic crudeliter perculit, non sine cordis laceratione deploro. Nec[Page 51]

doleo dampnum simpliciter, carissime domine, cum, si conditionem meam infra meipsum commetior, ad victum mihi panis et aqua sufficeret, sed considero quod deficiente nunc mihi tempore prospero quod me non multum divitem dereliquit, auxilium istud in quo aliquantulum ceperam confidisse defecit. Considero etiam quod frater meus qui tenaces semper habuit manus ad munera, vel tepebit penitus in mittendo de cetero, vel religionis alicuius assumet habitum ex casus huiusmodi crudelitate turbatus. Ego vero Gaietam propterea bis accessi ut per Gaietanos, qui tanquam dampni participes indemnitatis mihi remedium – licet frustra – promittunt, super hiis possem consilium invenire. Et idcirco, carissime domine, personam vestram que mihi est non solum in prosperitate solatium, sed in adversis etiam delectamen, visurus venire non potui. Scribo vobis tamen hec omnia tanquam illi cui volo, debeo et teneor omnia negotia propalare. Vos itaque, domine, prosperum vestrum statum et si redire ad partes istas in proximo vel in Arpino morari diutius proponatis, mihi vestro dignemini nunciare si placet.

[

Domino ... magistro iustitiario, Nicolaus de Rocca.
Senex quidam domesticus et procurator meus, qui multo iam tempore[Page 52]

mihi servivit et servit in Rocca et cui de negotiis domus mee presens et absens confidenter inhereo, filium quandam pauperem licet bonum nomine ... de ... habet in Sugio, unum ex illis, carissime domine, quibus olim per vos commissa fuit captio presbyteri Nunc autem filius eius super eodem negotio cum aliis collegis suis per dominum ... de ... impetitur et ad impossibilem vel periculosam sibi solutionem ... unciarum auri instantissime molestatur. Rogat me igitur pater pro filio, immo pro munere postulat, ut, quia vester sum ego, ipsum dominationis vestre pedibus recomendem. Ego vero, qui augmenta honoris et commodi vestri votivus affecto, superfluis nolo gravare vos precibus, velut qui improvisam rogatoris audaciam credens merito repellendam, quantumlibet invitatus, pro aliis intercedo. Vincente nunc igitur necessitudine voluntatem, ad instantiam patris, quo sine gravi negociorum meorum incomodo carere non possem, vobis pro filio eius attentissime supplico, ut ipsum super hoc commendatum habere volentes, ad minus, carissime domine, dignemini predicto ... per litteras vestras iniungere, ut super exactione unciarum ipsarum supersedere debeat usque ad aliud dominationis vestre mandatum.

[

... amico suo Nicolaus de Rocca.
Dedit mihi hactenus vestre bonitatis odor, communis amici potissime[Page 53]

B. protestatione conflatus, munimenta fiducie, ut negotium meum, dudum per litteras Regias domino iustitiario fiduciose commissum, eo fructuosum reciperet prosecutionis a vobis celeritate subsidium, quo gratiosum iussionis auctoritate compendium expectabat. Propter quod ex concepto vos deprecor ut, ... latorem presentium – quem sub spe vestra specialiter dirigo – habentes in ipsius effectiva promotione negotii commendatum, ostendatis ex opere qualiter fructum eiusdem gratie, que me vobis exinde tenaciter obligabit, ab interpositionis vestre suffragio recognoscam.

[

Manfredus ... Comiti Pisarum, per Nicolaum de Rocca.
Libertas arbitrii desuper infusa mortalibus, ex usus inconsulta lascivia, sic humane nature fragiles inebriavit affectus, sic tradite sibi felicitatis universalis circumscripsit, ut primi parentis actus illicitus ex mandati dominici prevaricatione lasciviens, non solum transgressoris personam inficeret, sed, ex ipsius veteris commixtione fermenti totius generis commaculata posteritas, proclivis ad culpam cotidie defluat et masse corrupte originalia machinamenta deploret. Sic igitur homo, creaturarum dignissima,

fragilitate carnis traduce profusus ad vitia, dum substantiali differentia rationis, per quam a brutorum communione secernitur, per se non[Page 54]

potuit ab illicitis coherceri, ne ipsius effrenata cupiditas promiscuis actibus in evidens sui exitium redundaret, prospiciens Dominus ab excelso, regnantium solia clementer erexit in populis et ministros iustitiae provide prefecit in terris. Inter quos ad regie fortune fastigium nobis divina gratia favente vocatis inheret cura precipua et sollicitudo propensior, qualiter subditis nostro regimini gentibus sic pacis et iustitiae copiam ministremus, ut nostrorum turba fidelium sub domini nostri pacifica tranquillitate congaudeat et formidato supplicio peccandi facilitas sceleribus precludatur. Considerantes verumtamen, quod in regionibus singulis, quas nostre potentiae fovet auctoritas, quantacumque nobis dilectionis caritate preluceant et eas corde semper et animo contemplemur personaliter interesse nequimus, viros industrios, quorum consiliis rerum salubriter geruntur officia, qui absentiam nostram ubilibet suppleant et nostre serenitatis ymaginem representent, deliberato consilio providimus deputandos. Ea propter confisi etc., finiat in forma quae incipit, «De corrupti parentis primi convitio» etc. quae alibi habetur.[Page 55]

Cancellario domini regis Nicolaus de Rocca.
Tantam ex longa sensibilis experientiae serie, vel non minus ex probabilistrarum pignore litterarum, collegi de vestra benignitate fiduciam, ut nec verborum inopia pallidus recitator ad aram, nec foliorum pannositae superfluum orator in forum venire diffidam. Cuperem tamen in hac temporis facie floridi, quae campestris quilibet virgulta florescunt, devotionis mysticos flores adducere, ut tanti viri gratiam revera reveritus illum mihi conservem in veris amenitate propitium, quem bruma nichilominus exhibuit liberalem. Sed tot sunt a vobis caritatis oblata ministeria, tantus ex cyrographo promissus affectus, quod ad relativa commercia gratiarum, nisi me ipsum in grates exolvam, verborum forago non sufficit, et sulcantis aratrum lineae non subservit. Humiliatis enim circumferentiis status mei et forma mediocris familiaritatis accepta, mihi trans hominis meritum, ut loquar summarie, suavitatis odorem ultroneum obtulistis. Ita quod si aliquando in manus lectoris alterius, cui vestra sit ignota benignitas, littere ille melliflue, quas gustasse promerui, transferantur, interpretis arguti iudicio extimentur potius fictae quam factae et submisae potius quam transmissae, nisi capitalis ymago signaculi – quae caput mittentis longo utinam tempore representet incolumem – dubietatis tantisper rubiginem aboleret. Eius itaque paginae, tanquam preclari speculi, sepe celebrans visionem, sub spe vestra totus vireo, totus vivo. Sane cum olim ad iter Siciliae quasi constanter attentas serenissimi domini nostri litteras receperim, quales scitis, ut, ad egregium virum dominum comitem principatus me conferens, cum eo in servitiis regis usque ad felicem domini reditum remanerem, et subsequenter eodem domino comite ad domini presentiam revocato, cum, causa cessante, cesset effectus, mandatum non potui dominicum adimplere. Nunc ergo erroris huius stupore perplexus, cum sit agendi[Page 56]

quiescendum, ut quiescenti etiam sit agendum quiescere credens, si domini servitia prosequar, quod sim acturus in antea, devotum vestrum queso per litteras doceatis.

[
]

Domino G. de Cusentia Nicolaus de Rocca.

Ut loquar ad litteram, satis me pavit littera quam misistis, ex cuius sapore dulcifluo fructus exuberans mentem erexit, spem fovit, fiduciam roboravit. Scitis enim quod, quamvis domestica statio grata sit animo, si temporis tamen qualitas et conquassationis humane conflictus, qui non nisi superum favore contunditur, attente pensantur, numquam me sic segnitie familiaris involveret, nunquam uxorius demulceret amplexus, aut status itineris otia delectarent, ut continue delectarer in montibus, nisi de persona vestra confiderem et in prosperitatis vestre successibus respirarem. In hoc etiam confidentie nutrimento non sic eligo quiete dissolvi, ut domini nostri, a quo salus omnium et vita dependent, servitia reiecisse conspiciar, ut a servitiis eximer ut mancus abiectus. Propter quod vobis confidenter insinuo, quod, licet mihi dudum mandatum dominicum misissetis ut, ad comitem ... me transferens, cum eo usque ad felicem[Page 57]

reditum vestrum de Sicilia remanerem, quia tamen, processu vestro sicut Deo placuerit revocato et eodem comite ad domini presentiam accersito, videtur iam ipsius mandati causa cessasse, quid mihi sit agendum in antea mihi, queso per litteras iniungatis.

[
]

Domino G. de Cusentia Nicolaus de Rocca.

Sepe vobis intentionem meam per litteras indicandam, colorum appositione, depingerem et accurata qua possem operis interiectione sulcarem, ut

forsan accederet mittentis devotio comparata favoris dignitate placentior, et, quas recipientis in pectore benivolenter remansisse non ambigo scintillulas attentior excitaret. Sed quo magis confido vel diligo, eo potius dubitans pertimesco, ne sensus vester distractus ad varia, dum maiorum rerum turba comprimitur et occupationum ardua congressione calcatur, curas negligat carentes instantia et litteras, que necessitatem non indicant, oculis pretereant semiclausis. Nec mirum fateor, cum, inter horas singulas, quas reverenda vobis domini presentia subripit et, dilationis impatiens, iussionum exequutio festina subducit, quas tolerabilis amicorum importunitas adimit et clamantis in atrio populi petitio tumultuosa conquassat, quas etiam inspiciendo vicissim et, utinam pro meritis compensando, notariorum vestrorum opera, frequenter expenditis et in ipsorum expeditionibus exercetis, sic spiritus vester, ut credo, presentium perplexitate contunditur,[Page 58]

quod nisi humeros haberetis suetos ad sarcinam, ad figurationem absentium minus sufficiens redderetur. Nam si forsitan, ut verbis alludam, de tot negotiis aliquid otii prudenter excerptis, illud in re militari de cetero, que parum habet commune cum litteris, vos expedit curiose consumere et de armorum iudicio, cum Tyronis in vobis iam nomen effluerit, non solum verbo sed facto tractare. Confisus tamen, absens ego quantumlibet, dum maxime de amicitie circumferentiis agitis, coram vobis semper ymaginarie reddere me presentem, ad vos latorem presentium fiduciose transmittito, ut quid mihi sit agendum in antea, sic, queso, consiliariter rescribatis.

[

Domino G. de Cusentia Nicolaus de Rocca.
Quod, post discessum vestrum, labore confractos, frigoris algore torpentes, nivis gelide candore conspersos et ieiunii pressura famelicos sub votiva tecta Venusii placidus vos hospes induxit et sufficienter, ut scribitis, articulis singulis per opposita satisfecit, satis letanter id audio et residentis moram propterea magis laudo. Sane si amici fuisset et socii consilio creditum,[Page 59]

potuisset forsitan actionum gravis illa congeries, quantumvis hospitii reconciliata successu, vel precaveri totaliter vel in melius circumscribi, ut expectatus tantisper eventus, quem dierum subsequencia peperisset, viam veritatis instrueret et auram efficeret itinerantibus gratiorem. Sed istud placuit inchoare viagium, temptare nives et frigora, frangere reumata, sed potius eis frangi. Cur non etiam placuit ista precipere et in alio quidem vestro, quod erat quasi viatoribus obvium, hospitio declinare, ut saltem vobis fugator boree fieret verum? Ibi enim receptaculum competens, defendens ab ymbribus, ibi grata requies post laborem, lignorum copia contra frigus, refectionis mensa dapifera contra famem, Bacchi diversa genera, genitiva leticie, et quevis optativa ventricolis gratanter vobis obsequi potuissent. Sed forsitan hoc evenit, ut contrariorum disciplina sit eadem, succedentibus prosperis, in quibus vos illa forsitan meminisse iuvabit; iudicetis verius de adversis et discatis in posterum amicorum consiliis dare fidem. Ego quidem reditum vestrum proximum utinam et felicem Fogie votivus expecto, vos hylariter recepturus ibidem et in cellam vinariam inducturus, ubi a dextris et a sinistris vina tripudiant, que bibentibus decies repetita placebunt, et si quicquam de materia frigoris montani tuleritis, contra brume cuiuslibet et nivis obstaculum probabiliter triumphabunt.[Page 60]

... amico Nicolaus de Rocca.
Ex eo maxime mei fore presumpsi te memorem, quod missas mihi dudum domini mei principis litteras, quas manus petrina sulcaverat, dativo limite thomasina conclusit. Sed in hoc etiam dubitatione non careo, quin sic simpliciter cum generalitate transierint, ut, oculis tantum presentate forinsecis, ad contemplationem animi non fuerint introducte. Ne autem pro me illum exuas animum quem consuevistis gerere pro amicis, procurare te precor cum ... expeditionem literarum, quas peto per cedulam sibi missam.

[

Sociis suis Nicolaus de Rocca.
Nisi labores assiduos, quos passivus interdum nunc in ista quietis interpolatione commetior, ad excusationis vestre subsidium vobis quodammodo[Page 61]

compassivus adducam. Possem de nota superstitionis arguere, quos tertia iam salutatione preventos, in montium elatione, qua latito, nunquam habere merui responsores. Causam facti non expeto, dum factum adverto, quia posset ad minus informis aliqua, iuxta formam quam vestra discretio non ignorat, inter alia litterarum involucra una saltem ad me precipitata defluere, que sociorum statum incolumem denotaret. Sed quid ultra? Liti concluditur, quam libenter et iuste prosequeretur, nisi prevalere iuri frequenter iniuriam dubitarem. Ecce igitur ... ad curiam venientem vobis in suis negotiis recomendo, per quem et de statu meo certificari poteritis et de vestro rescribere si placebit.

[
]

Notariis domini regis Nicolaus de Rocca.

A primordio cedulae, quo salutis preferri debet expressio et eorum quibus scribitur intitulari vocabula, de quantitate vestrum et nominibus singulorum sors mihi dubie cogitationis occurrit. Dum enim omnium in

libro memorie commensurata caritas, sedula meditatione, revolvitur, singularitatis[Page 62]

vocabula et vestrum quantitas diminuta vel aucta mihi memoriter non succedunt. Sic igitur vocabulorum et quantitatis gratanter tamen alternato certamine, communi vos malui voce colligere, quam sub speciali compendio obliviose quempiam preterire quem nollem. Committitur itaque cedula salutare quos invenit, monitionis mee licet indigne consilia vobis porrecture, studentibus ut sic allisis pannulis vestris ad petram et solidata lubricitate qua fluitis, per quam et ego conflueram, illam habere mereamini gratiam, quam habere non potuit nisi qui sudavit et alxit.

[
]

Etsi prosequatur officium dominantis auctoritas, dum fidelium precibus inclinatur intuitum et premiorum retributione remunerat servitia subditorum, quia tamen omnis benignitas ad beneficia properat et muneris maioris est gratia, quominus diu recipientis expectatione pependit, satis nobis ad gloriam cedere credimus et subditis ad profectum, si premia meritis interdum precurrere patimur et subiectorum obsequia beneficiis[Page 63]

prevenimus, cum et in illis nostra gratia debitores efficiat et in istis nos reddat liberalitatis debitum gloriosum. Ea propter etc.

[
]

Cogitat de imperii negotiis.

Quantum inter cetera cordis nostri desideria potissime affectemus et ad id noster instanter exuberet et anhelet affectus ut negotium sacri Romani imperii, quod, teste Altissimo, pro divini honoris fervore ad augmentum catholice fidei et tuitionem ecclesiastice libertatis prompte prosequendum subire curavimus, sic salubriter fine laudabili prosequamur, quod quies temporibus nostris regnis proveniat, pax ecclesiis, concordia plebibus et moribus disciplina, in nomine Domini.

[
]

Tractatur de negotiis imperii.[Page 64]

Cum, inter tot et tanta negotia, quibus pectori nostro continue materia cogitationis effunditur, potissime sollicita meditatione pensemus qualiter, nobis absentibus, in regno Alemannie bona imperii sine distractione, alienatione aut occupatione illicita protegantur et preserventur laudabiliter ab adversis, pro ipsorum conservatione potiolem nimirum vigilantiam adhibemus, et quia tunc regio utiliter regitur, cum dirigitur providi rectoris regimine et vigili presidentis industria gubernatur, nos volentes ut eadem regio, ubi bona predicta consistunt, rectore ac defensore gaudeat circumspecto etc.[Page 65]

Cardinalibus Capitulum Calvense, per Nicolaum de Rocca.

Habet secum Calvensis Ecclesia doloris angustias, quibus non solum lugeat viduitatis sue fronte capillata calvitium, sed graves ingeminet verticis capite diminuta conquestus, dum coniugalis amplexus viro superstite dolet absentiam et capitalem sentiunt membra languentia presidis utilis subtractione iacturam. Cum enim venerabilis pater ... dudum tradite sibi sponse sic adesse voluerit, quod prodesse non desiit, immo preesse sic noverit quod etiam subesse didicerit, speravimus tamen hactenus, et de vestre piscina clementie sub silentio expectavimus aque motum, ut pro ipso vite laudabilis et fame probate suffragia condigna sufficerent, nec minus coram vobis sic sue prone devotionis humilitas peroraret, quod semen vestre iussionis, oraculum erga eum pietatis oleo lenientes, ipsum ecclesie sue, que perduto nunc preside fluctuat, misericorditer redderetis. Sed vestra preter creditum intentione suspensa, replicat coniunx lamenta divortii, dum virili se dolet solacio destitutam, suspirat et appetit reparamenta coniugii, dum et vicinum et utilem colligit peregre nunc abesse maritum, et sic nec extreme squalore viduitatis obducitur, dum reparationis eidem nutritiva spes imminet, nec maritalis letitie splendore componitur, dum consortis gratifica comitiva privatur. Cum sit ergo difficile, sancti patres, a consueto recedere, luctuosis precibus Calvensis ecclesie, que sub eiusdem viri solito et experto presidio incrementis continuis pilescebat, vestre propitiationis oculos inclinetis, ac, ne sub insolito incognitoque[Page 66]

iudicio contingat eius incolumi capite magis in anima calvari cesariem, diutine contemplationis intuitu, cuius est elisos erigere, vestra, si placet, benignitas, super reintegrando tam utili tam grato consortio, medicamenta suppliciter quesumus salubris reconciliationis indulgeat.

[
]

Cardinalibus populus Calvensis, per Nicolaum de Rocca.
Per devia vallium velut oves erratice percusso pastore dispergimur, qui per pascua montium eo duce dudum incolumi fovebamur, sicque non solum voracibus lupine rapacitatis patemur insidiis, sed violentis humane frequenter invasionis obiectibus agitamur. Nec id magis propterea, quod generaliter prede turbamur impulsibus, continuo dolore nos afficit, quam quod ducis nostri sedulitas, qui nunc voce, nunc baculo adventicios quoslibet propellebat incursus, sub indicta sibi silentii taciturnitate mutescit et terroris fuste deposito gregem quem diligit patitur oberrare. Satis ex hoc, ut credimus, boni pastoris languet officium, si oves suas, pro quibus animam ponere consuevit, invitus abiciat et sub extranee tepiditatis incuria videatur de propriis non curare. Sic itaque, nunc fracti, nunc devii, sanctissimi sinus vestri cogimur implorare clementiam, ut super reconciliatione venerabilis patris ... episcopi Calvensis – qui summi pastoris exemplo oves suas diligenter et accurate cognoverat et devote cognitus est a suis, cui etiam si flaret aure vestre felicitas recognitionis debite gratitudo[Page 67]

promptis et pronis animis redderetur, qui pro gregis salubri custodia cotidianas verbi et operis solebat interiectiones apponere, nec pro qualitate rerum persone laboribus indulgebat – provisionis sancte consilium adhibere ipsumque ad sponse sue gremium, que viro vivente lugubris signis viduitatis involvitur, divine pietatis intuitu misericordia vestra remittere congrua restitutione dignetur.

[

Domino Pape Capitulum Calvense, per Nicolaum de Rocca.
Digne Deo nostro cum ceteris Christi fidelibus gratiarum devota tributa persolvimus, digne sibi laudis et glorie cantica resonamus, dum, de supernis sedibus misericorditer propitiatus in terram sitientium, pectora diutinis arefacta singultibus uberrimi roris sui sacra nuper aspersione perfudit, novo super familiam suam ministratore disposito, qui cibum in tempore tribuat, genua debilia roboraret, et manus dissolutas instauret. Expediebat profecto nos hactenus hoc affectare cum aliis, et iam obtinere cum aliis generaliter delectamur. Sed id speciali quadam anxietate quesivimus et singulari fiducia gloriamur obtentum, sperantes ut Calvensis ecclesia, que capitis sui dolet ad tempus calvata lanuginem, que viro vivente vidua, vel perduto maritata, dum consortis eiusdem suspirat absentiam, dum suaves amplexus infra se memorat, dum blandimenta dulcia commensurat, iam Preside presidium celitus indulto fidelibus, probabili causa debeat marcoris lamenta deponere, solitudinis deserta traicere et in sinu clementie vestre, que solamen est omnium, sue iacture remedium dolorisque solacium reperire. Ad vos itaque, sancte pater et domine, prona mentis et[Page 68]

corporis devotione recurrimus, ut, cum sollicitudo omnium ecclesiarum instantia cotidiana vos excitet et a vobis, universorum capite, non solum fidei membra dependeant, sed capita quolibet subalternata respirent, Calvensem ecclesiam, que luctus suos superstitute capite decapitata capitulat, misericordibus oculis intuentes, venerabilem patrem ... Calvensem episcopum, qui sponsam sibi creditam pane vite et intellectus, quousque suo regimini preluit, cibare non desiit, qui gregem sibi subditum per prata virentia circumspecta passuum salubritate transduxit, quem conscientie sane sinceritas, devotionis oblate puritas et humilitatis innate pronitas vobis hactenus substulerunt, ad maritalis thori consortium et ad caule consuete presidium dignanter quesumus remittatis.

[

Domino Pape populus Calvensis, per Nicolaum de Rocca.
Etsi non sit humilium mentium superiorum acta discutere, nec eorum sancta iudicia cogitationibus velle conscendere, quorum tenentur nutibus obedire, interdum tamen humana superficiali nobiscum meditatione revolvimus, qualiter imitatores Dei, statuentes in misericordia et iustitia vias suas, viri quidem perfecti, viri apostolici, viri sancti, suam in preside nostro suspenderint tanti temporis discursione clementiam,[Page 69]

ut in ecclesie sue sedem non fuerit hucusque redire permissus, que sentit multiplices in eius absentia vacationis incommoditate pressuras. Cum eius maxime vita laudabilis et fama probata non solum sibi prosit suorum bonorum operum officina probabili, sed plantet in aliis per evidentiam actuum virtuose imitationis exemplum, credimus tamen in simplicitate cordis nostri, quibus non est datum investigare navis semita supra mare, quod, dum generaliter hactenus totus orbis ex capitis diminutione collanguit, asperitatem casus nostri rite solari possit equalitas, quam cum aliorum universitate pertulimus. Iam vero cum, fugatis undique tenebris, partes quaslibet Lucifer matutinus irradiet et in universalis salute capitis subditorum languentia membra respirent, spes pulchra nos confovet, ut iactura Calvensis ecclesie, que semividua viri superstitis suspirat essentiam, sentire iam debeat reparationis sue proximum fulcimentum. Ex hoc itaque,

pro pastore nostro nos populus eius et oves pascue eius ad gremium sanctitatis vestre suppliciter et devote recurrimus, ut, statum nostrum piis et benignis affectibus attendentes, ne nos sine duce contingat ulterius errare per devia, qui semper sub ipsius presidio in uberrimis montibus pascebamur, indulgere benigne dignemini ut, in hiis novitatis vestre sancte primitiis, quas sub refectionis expectate fiducia nostra satis hactenus ieiunavit affectio, pastoris nostri veteris resumere nobis noviter liceat usufructum.[Page 70]

... episcopo Aquinati Nicolaus de Rocca.

Quantumlibet hactenus conscientiam meam sepe temptaverim, ut absentem patrem litterarum experimento requirerem, quem semper ex animo figuro presentem, sic temptantis impulsibus accidens semper temporale vim intulit, sic semper compescui voluntatem, quod elegi reverentiam omnem commendare silentio, quam litteralibus aperire misteriis dubium forsitan censebatur. Nunc autem nebulosi tantisper aeris intemperie mitigata, scribo iam vobis tamquam illi cui amoris odore preteriti dilectionem sinceram et future prelationis officio reverentiam debeo filialem. Nec expediebat ad vestra servicia, quas grata cordis et manuum affectione recepi, sollicitare me litteris, qui sine quorumlibet adiectione calcarium ad omnes profectus vestros curro reverenter iniussus. Noveritis[Page 71]

igitur quod, cum cancellario et aliis curialibus vestris, super principali negotio ecclesie vestre, et rectore iustitie super alio facto quod nostis, plena coniudicatione iam habita, verborum laudabilem, utinam felicem, effectum e vestigio vobis scribam.

[
]

... episcopo Nicolaus de Rocca.

Litteris vestris hylariter et affectuose receptis, probabilia mihi vestra Paternitas amoris argumenta porrexit, dum certa fiducie munimenta subiunxit. Opinor equidem, quod, qui ad vestra servitia me fiduciose requiritis, caritative per consequens diligatis. Licet igitur ex persone vestre presentia expectaverim hactenus avide recreari, ut de honoris vobis desuper collati fastigio possem in collaborantium numero, grate participationis ordine, facietenus congaudere, gaudeo satis, absens, et votivus affecto, ut, descendens a Patre luminum benigna dignatio, sicut ad apicem dignitatis huius felicibus vos promovit auspiciis, sic gratis in antea longevitatis placide et sospitatis continue foveat incrementis, prosperum vobis iter indulgeat, vestris feliciter annuat terra processibus, faveant leniter freta navigiis, uniantur media grata principiis et mediis ultima gratiora succedant. Ego enim absentiam vestram excusationis, ut decuit, honestate colorans, super expeditione negotii vestri sollicitudinis debite partes apposui, sic votivus et recens in antea servitia vestra suscipere, quod nisi ceptis adiecero modicum reputem me fuisse.[Page 72]

Episcopo Aquinati Nicolaus de Rocca.

Verborum faleris abdicatis, desidie me fateor nota respersum, quod vestram hucusque distuli personaliter visitare personam. Recepta tamen, quam in me grata radicavit antiquitas, de vestra benignitate fiducia, credo quod constantem et placidum animum vestrum brevis temporis intervalla non minuant nec localia quevis prepedimenta permutent. Ecce igitur ex parte fratris mei de civitate Neapolis, ubi ipsa diebus istis elementa commota sunt, vos affectuose saluto. Duo nepotes mei, devoti vestri ad pedes vestre[Page 73]

paternitatis accedunt, quos, si placet, auctoritas vestra benigne recipiat, ad ordines clericales promoveat et ad sperate gratie limen admittat.

[
]

Responsiva Nicolai de Rocca ad episcopum Aquinatem.

Adirent decretales petite dominationis vestre presentiam, nisi, pro quodam digesto veteri, cuius mihi solutio defuit, pignoris vinculo stringerentur. Ipsarum ergo non denegatur missio sed differtur. Nam vestre paternitati mitti, quam cito de ipso carcere pedem extraxerint, promittunt.[Page 74]

Archiepiscopo Salernitano Nicolaus de Rocca.

Stabilis dudum conceptione propositi, sed suspensa forte plus debito temporis hactenus deductione, firmaveram limen vestrum avida paginarum inculcatione pertingere, ut sub hospitis tecta nobilia, que turbe multiplicis frequentantur introitu, que fecundis exultant honorata conviviis, facundis tripudiant predita condimentis, locum mihi plus cordis quam oculi contemplatione precognitum familiaris oblatio dictionis instrueret, favoremque presidii prone mentis devotio compararet. Sed latus vestrum letanter ymaginans, curis hinc fluentibus circumseptum, in cassum timui verba traicere, que vel strepentium turbo mixta confunderet, vel adventiciis neglecta tumultibus audientis occupatio preteriret. Solent enim animi plus rebus inherere quam vocibus, et nisi commenta verbalia vel dignitatis extrinsece fuerint suffulta comitiis, vel speratis emolumenti commerciis

maritata, in tenues auras facile de aure pretervolant et ad memorialis sedis armarium vix ascendunt. Iam vero doctus, ex tempore, quod apud vos, qui sub eiusdem cognominis equivocato cognomine duos recepistis in uno corpore Nicolaos, mihi, manu vicaria sortis nepotice, in considentium numero quantumvis novissima sint parata sedilia, credens quoque revera quod occupationum pro parte non modica digesta sint pondera, que studia vestra dudum rediviva vicissitudine distrahebant, templi vestri pinnaculum securus ingredior et ad gustanda mellea fomenta dulcedinis fiduciosus invitor, illa precipue gratie cautela specifica concomitante viaticum,[Page 75]

quam de aromaticis litteris vestris pigmenta pandentibus circumductione fragrantiam odoravi finaliter et subiectibiliter adoravi. Cuius instantia, spe fertili, nutrior et pingue sumo presagium de futuris, ut, qui vacationis hoc tempore, curis illis prementibus vacuus secum sistens, gratam mei voluit habere memoriam, sic sibi tenaciter utinam primordia cepte dignationis habituet, quod, succedente plenitudine temporis, qua virtutem suorum operum arduis habet reformare negotiis, devotionis integre mee signum de libro memorie, per applicanda maioribus interstitia, non obducat.

[
]

Domino I. Nicolaus de Rocca.

Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies salutis appropinquat et pacis, in quo, favente divina clementia, inter orbiculares columnas innate discordie determinatio creditur et desiderata innuitur temporum festivitas futurorum. Quibus advenientibus, ne propter vestri consensus notitiam videar aliquid attemptare, qui datus mihi estis pater et dominus post secundum, veniendi Neapolim vel curiam visitandi precepta ponatis et adverbii negativi vel affirmativi regulam vestris litteris mittatis expressam, ut pater me gratum sibi sentiat, dum mandatorum vestrorum me inveniat inexpertem.[Page 76]

Domino Iordano cardinali Nicolaus de Rocca.

In odorem unguentorum vestrorum venire devotus etc.[Page 79]

Responsiva Nicolai de Rocca ad Nicolaum clericum nepotem.

Sauciaverat animam fame preloquium, cum littere tue facies, doloris aspersa rubigine, que, volatili traiectu quo nescio tam longum percurrere potuit una luce viaticum, ad me nuper in Omnium Santorum vigilia, quam dativus ille finalis clausule limes insinuat, horroris indicativa pervenit, cui sapor insipidus, Iordani fluentia siccata denuntians et funditus dirutum tabernaculum spei nostre, turbationis materiam memorabilis intulit sensusque legentis nebula mentis obtexit. Dum enim promissionum suarum manifesta presagia, a quibus nostre pendebat pars magna fiducie, tam subito precisa cognoscimus et, verbis gratie nostris non ignote contractis, gustata suffragia in eius ammissionis incomodo deminuta[Page 80]

sentimus, incumberet nobis cum ceteris, qui de arefacto nunc alveo lapides colligunt, siccitatis dies agere lugubres, si vel preteritorum dampna lamenta reficerent, vel futurorum dispendia lacrimae relevarent. Sed quia dederunt hanc legem fata mortalibus, ne brevia et caduca sint universa que possident nec subsistendi spes promittatur in vallibus, ubi montium etiam fundamina subvertuntur, vetamur ex hoc in longum desideria nostra protrahere, que corripit vita brevis, prohibemur in hominum fragili factura confidere, quorum ego revera iacturas ferre sum solitus et gemere detrimenta coactus. Docemur in Illo sperare precipue, qui potens est capita conquassare potentium et de lapidibus aridis Abrahe filios suscitare. Docemur veruntamen illum propterea timere semper et colere, qui potens est irriguos arefacere fluvios et scaturlientes de petra rupis producere fontes aquarum. Talis ergo tantique viri deficiente suffragio, qui, humanis subtrahitis hinc inde vehiculis, remanserat mihi solus anchoreus uncus in fluctibus, solum in tempestate remedium, solum quasi refugium in pressura, oro supplex ad Dominum, qui dator est omnium, ut, qui talem dedit et abstulit, alium nobis remigem dignanter indulgeat, qui vela nostra sic dirigat ut cor nostrum in suis iustificationibus dilatetur. Tu vero, qui super hiis per alias precedentes, vacillantibus in ambiguo fame rumore digitis, exaratas, quas auditus sinister fortassis instruxerit, litteras, aliquid apprehendere potuisti, tam in hiis quam in aliis actionis domesticæ viteque contractibus, latorem presentium fiduciose recipias, cuius redditum iniurie nota de mora non arguat et tarda segnitie de incuria non accuset, quem operosa dierum adiectio sub expectationis assidue productione detinuit, ut tam super equi custodia quam super aliis circumferentiis actionum prosequutor ydoneus et relator sufficiens referet.[Page 81]

Nicolaus de Rocca fratri suo.

Negavit hucusque mihi iam temporis longi lapsa discursio – et tu

etiam, pigre, in tempore, nismus in vetitum – super successibus tuis, processibus et statu prosperis sicca scribentis labia per litteras tuas aqua iubilationis aspergere, qui sicut a principio, nunc et semper, super hoc ficturarum indicia, opus tuarum manuum, avidus expectavit. Quod si nuntiorum fortassis inopia, vel commisse tibi legationis implicitas se, pro causa negotiationis, inseruit, tamen ego ignorantia dispositionis expresse, qua fulcior, hoc totum fictum adminiculum excusationis accipio, dum, in tanti iam discursione temporis, peregrinum in solitudine nuntium, aura prosperior, ad nostrum, quo degimus, potuit emispermum transmississe. Quidquid sit autem, mi frater, dum sanum, quod oro, barbara natio te servabit, spem bonam in omnibus, et successus prosperos colligo supponendos. Tu igitur, ex assuetudine quam sortiris in patria, cuncta pro te, quam pro me etiam – sicut credo – sollicitus et diserte pertractans, statum et processum tuum super omnibus, frequenter, abiecto tedio, mihi scribas.[Page 82]

Fratri suo magistro M. Nicolaus de Rocca.
Presentium baiulo legatio plena commissa est, ut legantis vobis intrinseca clavis misterio verbalis aperiat et intercedentis lingue vivacitas audeat quod calami forte remissio non presumpsit. Coram oculis suis, quolibet velamenta deposui et usque ad interulam, ut testimonium de visu perhibeat, me nudavi. Nichil ergo sequitur aliud quam quod paterna fraternitas, que de interpretis ore conncierit, vera disiudicet et memorie thesaurarie recommendet.[Page 83]

Domino ... Nicolaus de Rocca.[Page 84]

Ut te familiariter alloquar, ultra quam dici valeat me nuper obitus ... nuntiatu afflixi. Doleo, quippe, dum eius obsequia, que mihi grate multotiens collata rememoro, subtracta iam video. Doleo dum subito perdidisse videor, quem ardenter amavi. Doleo etiam, quod me pungit acerbius, dum parentis utriusque subsidio pupillos iam sentio destitutos. Sed cum morbus huiusmodi, qui reparationis unguenta non recipit, ad cautiorem nepotum meorum custodiam ardentius me accendat, ipsos tibi, tamquam alteri mihi, confidenter et affectuosissime recomendo, ut circa ipsorum curam non solum doctoris geras officium, sed patris et patris partes assumas. Eos igitur usque ad reditum meum, quem proximior tibi polliceor quam credatur, continue visites quinimmo ipsorum moribus curiosus obsistas. Eos sapienter ammoneas, immo que bona videris studiosus iniungas, eos docendo prospicias, quin potius moribus virtuosus informes. In nullo etenim tuum mihi gratius monstrare posses affectum, quam si circa ipsorum curam appareas operosus.

[

Magistro Marino fratri suo Nicolaus de Rocca.[Page 85]

Post salubrem reditum capitis et membrorum, quibus ex itineris aggressionem tam dubii viatorum corda formidine non carebant, volui iam frequenter, reductus in patriam, nuntios vobis et scripta dirigere, ut mutue saltem salutis opibus inter se fraterna caritas foveretur. Sed, dum nichil novum nec nuntiatione scriptibile dudum ex temporis brevitate suppeteret, quievit, licet non segniter, calamus et nuntiorum sollicitus distuli missionem. Nunc autem, aliquam ministrante dierum decursione materiam, noveritis, quod nobis omnibus per Dei gratiam sospitas corporalis aridet et violentis ventorum flatibus obsidentisque nivose stationis impulsibus omni quo possumus subsidio repugnamus. Nepotes nostros, pridem in ieiunio quatuor temporum apud Aquinum, ubi populosa convenit multitudo rasorum, episcopus noster affectuose potius quam effectuose recepit. Quibus, dato characteris primo signaculo, mandavit ut sequenti die post festum ... presentiam suam fiduciose repeterent, ut reliquos omnes minores ordines et placiture vobis et mihi provisionis sue gratiam reportarent. Sed nescio si variaverit mores cum tempore: missos ad eum iterum pueros vidit hylariter et, minoribus eis datis ordinibus, nichil de preterita promissione peregit. Retulerunt tamen cum rasura circumcisorum crinium verba tantummodo, quibus habundare consueverunt pectora prelatorum: videlicet quod nichil dabile vacat ad presens; sed quam cito se sibi oportunitas offeret, eis libentissime providebit.[Page 86]

Suo N., N. de Rocca.
Inter alia mea negotia quibus curiose te credo sollicitum – recepistis.

[

Nicolao nepoti suo Nicolaus de Rocca.
Quantumvis aliena te regio ceperit, studere debes eorum semper cum quibus tua conversatio fuerit prudenter accomodare te moribus, et animum universis ac singulis informare nativum. Nec de rerum novitate montanus obstupeas, vel hominum ritus insolitos novitius admireris, sed

cum totus mundus sapienti sit patria, sic omnium mores amplectere, ut etsi non sis, saltem sapienti similem te figures. Mei autem si habes, sicut te dicis habere, memoriam, verba mea tecum et infra te ipse recogites, ut inter cetera domino tuo studiose sis subditus et quicquid tibi dicat aut faciat, dici seu fieri semper extimes ad doctrinam.[Page 87]

Nicolao nepoti suo Nicolaus de Rocca.

Si Aversam, pro incumbentibus tibi negotiis, profecturus accingeris, letor te id et quelibet alia vite curricula consulte disponere, laudabilis utinam exitus feliciter habitura profectum. Ad cuius itineris salubrius peragendi subsidium, si equos nobis fortune beneficio ad laboris vehicula subeunda dimissos prevides oportunos, unum vel duos accipias, prout in profecturo navitas et in remansuro commoditas persuadet.

[
]

Nobili viro domino ... Nicolaus de Rocca.[Page 88]

Ut nostre dilectionis unio per concessos nobis de novo filios confirmetur, sexui mihi crescenti femineo volens de coniugio providere, vestrum filium postulo sibi virum. Super quorum futuro connubio ut scribentis certificetur intentio, illius cui scribitur intrinsecum propositum reseretur.[Page 90]

Amico suo Nicolaus de Rocca.

Ex utero littere quam misistis, diligentis lectoris aviditas diligentem[Page 91]

amici collegit affectum, dum, suggesta per me vobis precamina, in oculis exauditionis fabricam digessistis. Ex fetu veruntamen, quem lecta litterula vestra gerebat in utero, dum obstetricis instantia stringentis fascie removisset involucrum, novelli problematis oppositiones invenit, vultis siquidem telam venusti dictaminis de amatorio stilo me texere et novas inter se scribentium adaptare personas. Sed rogati torpens ingenium duplicis rationis exceptio prepedivit: prima quod temptantis oratoris intentio, domesticis circumsepta negotiis, ad ordiendam ornati telam dictaminis manus habebat inhabiles; secunda quod vulnus expositum medentis quantacumque sollertia curare non potuit, dum precurrentis casus et cause primitias ignorabat. Dubitavit etiam lingue torpentis officium in actum erumpere, ubi temptationis obiecte potius quam petiti consilii signa coniecit. Ex his igitur causis excusata scribentis affectio, precibus preces accumulatur, ut sic negotiorum meorum procuranda commoditas vestre sollicitudinis habitum promptum accipiat, sicut in vestro recto gratitudinis ordine me cupitis invenire paratum.

[Home](#)

Nicolaus de Rocca senior. Date: 17/07/2013
